Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Quis autem ignorat quod deus deum genuit. quod dominus dominum genuit. quod rex regem
genuit. quod creator creatorem genuit. quod bonus bonum genuit. quod sapiens sapientem
genuit. quod clemens clementem genuit. potens potentem. Hic subintret pater
ingenerando filium. nec enim invidus. sed ut fons bonitatis tantum bonum genuit.
cuius bonitatis testis est omnis creatura secundum tuam ipsius prosecutionem quam valde
sempiternus laudo ubi de divinis protulisti dicendo. invisibilia enim eius a creatura mundi
per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. sempiterna quoque virtus eius ac divi
nitas. Adhuc tamen adicio non contraria in his que bene sunt dicta. dicens. sed consensum
accommodans. quoniam ex magnitudine pulchritudinis con digne creator eorum cog
noscitur atque colitur. Ut puto dedimus ad ista responsum. quem hoc et beatus paulus
tenuit prosequitur. quoniam cyrographum quod erat contrarium nobis ipsum tulit. christus. de medio af
figens illud cruci. exuens se carnem potestates et principatus traduxit fiducialiter
triumphans eos in semetipso. Et tamen ut sic homo qui exercitationem liberalium
litterarum vel rethorice artis non feci. si quid vicium fecisse in sermone adsensum respi
cere debuisses et non vicium sermonis intendens in errorem nos induceres. Absit
absit. unigenitus deus. deus est universe creature. mundus in eo (coin) inquinatur. sanctus securus. nullam
in se habens immundiciam. Nam qui non honorificat filium. non honorificat patrem
qui eum misit. Quod enim verbum caro factum est et in nobis habitavit euangelista
testatur. et vidimus autem gloriam eius tamquam gloriam unigeniti a patre. plenum gratie et
veritatis. De hoc ipso et ante iam vetus testamentum premunierat dicens. Lavit
in vino stolam suam. et in sanguine uve opertorium suum. Quod lego credo quoniam
verbum caro factum est. et habitavit in nobis. Iterum lego beatum paulum dixisse.
qui transfiguravit corpus humilitatis nostre conforme fieri imaginis corporis
christi glorie sue. Credo enim quod christus deus a patre genitus ante omnia, (sancta) ipse sibi secundum
domum secundum salomonem propheciam edificasset. secundum quod legimus sapientia edificabit sibi
domum. quam domum vice templi accepit. Nam et ipse dedisti rationem. secundum
quod sit visibilis. secundum quod sit invisibilis. ut puto non recens hec auditio ad
aures tue religionis. Nam et in prosecutione (ne) quam prosecutus es comparatione accipiens
anime. ostendisti piam et iustam esse ratione ut credamus et cognoscamus. quia si anima
humana in corpore posita oculis corporalibus videri non potest. quantomagis creator
anime corporalibus oculis videri non potest. Nam si angeli secundum nature sue
substantiam invisibiles habentur. quantomagis creator angelorum qui tanta ac talia fecit.